



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

8 An hæc materia apta sit consecrationi in quavis magna quantitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

vel etiam in separatis post consecrationem totius: ergo nihil hic deest ad materiae veritatem. Unde confirmatur, nam si post consecratam totam hostiam, separaretur quaelibet particula minima, sub qua possit conservari substantia panis, illa manebit consecrata, totum Christum in se continens: ergo eadem quantitas erit sufficiens ad consecrationem, si per verba formae designari possit. Unde haec veritas non pendet ex quaestione physica, an in his reb⁹ homogeneis datur minimum. Nam si non datur, procedunt rationes factae: si vero datur minimus panis sensibilis, sufficit ad consecrationem: minor vero minimo non sufficit, nō ex defectu quantitatis, sed quia iam non est panis. Et hoc non est contra conclusionem, quae procedit, quasi in sensu composito, supposito, quod sit panis.

Dubium.

Sed dicit aliquis, quid, si detur panis in tam parua quantitate, ut licet conservari possit, non tamen possit obici sensibus humanis? Dicunt aliqui, illum per accidens non posse consecrari, quia non potest videri, tamen per se loquendo posse, ita, ut si diuinam virtute fieret, ut Sacerdos certo sciret, aut crederet talem particulam panis esse in patena, posset in illo consecratio fieri: quae opinio solet tribui D. Thom. quoniam dicit, parvam aut magnam quantitatem nō referre ad consecrationem. Et confirmari hoc potest argumento facto, quia talis quantitas posset in toto consecrari, & separata maneret consecrata: ergo eadem ratione posset consecrari per se separata. Aliis magis placet illam materiam non esse aptam ad consecrationem, nec in ea posse perfici, etiam in supra dicto casu, quod tenet Maior dicta d. 11. qu. 3. Et ratio est, quia supponimus, obiectum visus humani, etiam si perfectissimum & acutissimum in sua specie sit, est ergo res illa humano modo insensibilis, ergo ex hac parte non est sufficiens materia sacramenti, & praeterea non potest pronominem, hoc, sensibilibiter demonstrari, ergo et ex parte formae non potest in ea confici. Et haec sententia videtur magis rationi consentanea, nec D. Th. aut alij contrarium sentiunt: sed per se loquitur de quantitate, supposito, quod materia manet sensibilis. Nam eodem modo loquuntur de magnitudine, de qua idem dicendum est, ut infra videbimus. De confirmatione autem, quae difficilis est, dicam in sequenti sectione.

Maior.

Solutio.

1. Concl.

Dico ergo secundo, Pars panis in toto existens, si per se sola consecratur, confici potest in quacunque minima quantitate, quae sensibilibiter designari possit. Haec conclusio sequitur ex praecedenti. Tractamus enim quid sit de necessitate sacramenti, non quid liceat. Jam enim diximus non licere, partem in toto consecrare: tamen, si fiat, factum tenet: quia illa pars vere est panis, cum quaelibet pars, quantumvis minima, sit vere panis: ergo, si illa consecratur, factum tenet. Oportet tamen, ut sensibilibiter designari possit: quia & ratio sacramenti, & propria ratio huius formae hoc requirit. Sed est hic aduertendum, si philosophicam opinionem teneamus, scilicet non dari minimum in huiusmodi rebus homogeneis, in conclusione hac nullam esse difficultatem: neque oportere limitationem aliquam adhibere. At vero, si teneamus in parte per se existente, & separata à toto, dari minimum, nonnulli censent limitandam esse conclusionem, quia non putant etiam in toto posse consecrari partem existentem, minorem illa, quae per se & separata posset conservari: quia existimant per consecrationem discontinuari, partem consecratam à non consecrata. Quod tamen fundamentum mihi non probatur, quia est contra sensum, & nulla est sufficiens ratio cur asseratur: tum etiam, quia per consecrationem, non fit alia immutatio in accidentibus, nisi quod separentur à subiecto & per se existant. Ex qua non sequitur necessario discontinuatio, nec corpus Christi de se magis illam continuationem impedit, quam

si substantia panis adefset. Confirmatur, quia si illae duae partes manerent contiguae, & non continuae: ex natura rei, trahendo vnam partem, non necessario traheretur alia, quia cum materia illa sit sicca, & arida, partes non conglutinantur, nec sibi cohererent, nisi ratione continuationis, ut experientia docet. Oportebit ergo hic ponere nouum aliud miraculum.

Dices, substantia, quae manet sub illis accidentibus, non est in se continua: nam sub vna parte est substantia panis, sub alia vero est substantia corporis Christi, quae inter se non continuatur: at vero iuxta principia philosophiae, quando substantiae sunt diuersae species, & discontinuae, etiam quantitas est discreta. Respondetur, quidquid sit de illo principio physico, in praesenti non habere locum, quia illa pars accidentium, quae separata manet, supplet vicem subiecti, & est sufficienter applicata & disposita, ut cum altera parte continuetur. Dico igitur in dubitatione proposita, etiam si verum esset dari in toto partem aliquam panis, quae separata ab illo conservari non posset, nihilominus posse illam solam in toto consecrari, quia reuera panis est, & ibi habet, quidquid necessarium est, ut sub illis accidentibus conservetur substantia panis: sicut si vinum consecratum misceretur non consecrato, etiam si diuidatur in partes, quatumvis minimas, quae per se separatae conservari nō possent, quamdiu tamen vnitae cum aliis possent sub se retinere substantiam vini, consecrationem etiam retinet, & sanguine Christi: per diuisionem autem totalem amitterent consecrationem, seu definirer sub eis esse Christus, quia etiam definirer substantia panis, vel vini, quod obseruandum est, ut infra dicemus.

SECTIO VIII.

Utrum haec materia apta sit ad consecrationem, in quaui magna quantitate absq; termino.

NON agimus de materia apta ad conuenientem modum. Supponim⁹ enim in hac re, ut sine peccato fiat seruandum esse vsu^m Ecclesiae, & non esse per magnam aliquam quantitatem consecrandam, quia esset praeter hunc, & contra reuerentiam debitam huic sacramento. Agimus ergo de iis, quae necessaria sunt, ut consecratio teneat. Et multo minus pendet haec quaestio ex physica controuersia, an istae res inanimatae terminentur ad maximum, quam quaestio praecedens, tum propter rationem ibi datam, tum etiam, quia indubitatum est, multitudinem panis congregatam ex multis discontinuis non habere terminum, cum tamen illa tota vna consecratione confici possit.

Est ergo prima sententia, dari certum terminum in quantitate maxima, quae consecrari potest, ita tenet Maior. dist. 11. qu. 1. conclus. 1. quia sphaera actiuitatis verborum habet certum terminum, cum verba sint agens finitum. Sed haec ratio in diuini instrumentis nullius est momenti, ut alias dixi. Eadem vero sententiam tenuit A lenf. q. 34. memb. 1. Bonavent. Alif. dist. 10. art. 2. qu. 4. Ang. Eucharit. 1. §. 25. ex alio fundamento, quia cum hoc sacramentum ordinetur ad vsu^m, non videtur data potestas, nisi ad consecrandam quantitatem, vsui fidelium accommodatam. quia hic videtur esse prudens modus institutionis huius sacramenti: nam dare Sacerdotibus absolutam potestatem conficiendi, quantamcumque materiam velint, & inuite est, & in grauem iniuriam huius sacramenti cedere posset, & hanc sententiam referens D. Thom. opusc. 59. c. 5. eam probabilem existimat. Secunda sententia absolute & sine limitatione negat terminum, etiam si in infinitum procedatur. Ita videtur opinari Syluest. Eucharit. 2. num. 4. Ledesma, qu. 11. art. 2. & tribui solet D. Thom. hic, & in 4. d. 11. quaest. 2. art. 1. quaestione 3.

Sed distinctione vtendum est: aliud enim est loqui

qui de quantitate panis, per se, & ex parte magnitudinis tantum aliud vero ratione presentie necessaria ad veritatem formae. Nam aliud est querere, quantum materia per se, id est, ex vi formae, & potestatis sacerdotalis consecrari possit; aliud vero est inquirere, an omnis conditio necessaria ad consecrationem applicari possit ad quantamcunque materiae quantitatem, seu magnitudinem.

Dicendum est ergo primo, per se, & ex vi formae, ac potestatis, quae est in ministro, posse consecrari quamcunque materiam absque vilo termino magnitudinis. Probatur primo, quia ex fide habemus, dedisse Christum sacerdotibus potestatem consecrandi panis, & nulla auctoritate, vel traditione, aut alio principio constat, limitasse hanc potestatem ad certum terminum, sed potius simpliciter & indefinitam illam tradidisse, ergo. Et confirmatur, quia panis in tanta quantitate est verus panis, ergo est sufficientis materia subiecta huic potestati, quia fides nihil aliud docet, quam panem esse materiam. Secundo argumentor, quia haec determinatio quantitatis non potest sumi ex vltimo, vt bene probat hic D. Thom. quia ipse vltus indefinitus est: neque ex forma, quia illa optime potest in quantamcunque materiam cadere: nec ex intentione ministri, quia haec etiam extendi potest ad omnem magnitudinem: neque ex eo, quod consecratio tantae materiae esset iniucilis, vel iniuriosa sacramento: quia hoc pertinet ad bonum, vel prauum vltum, qui non impedit substantiam sacramenti, si caetera necessaria concurrant, vt recte hic D. Thom. ad 2. docet, & cum eo caeteri Theologi, & Patres, quos Gratianus congerit de consecr. d. 4. de qua re late tractauimus supra, agentes de sacramentis in genere: vbi ostendimus, prauam intentionem ministri non impedire veritatem sacramenti, dum modo vere intendat facere sacramentum: etiam si id faciat per irrationem. Nam haec intentio in parua, & in magna materia locum habet. Tertio, si coniectura Alenis aliquid valeret, etiam probaret, per multas consecrationes n. n. posse conungi, nisi certam quantitatem panis, vltu fidelium sufficientem, quod est euidenter falsum: tum, quia de fide certum est, Sacerdotem vere consecrere, etiam si post primam, aut secundam consecrationem, vel post quemcunque numerum consecrationum conficiat, quia valor presentis sacramenti non pendet ex praeterito: nisi quis fortasse dicat, presentem consecrationem non esse validam, nisi vel materia prius consecrata, iam consumpta sit, vel praesens, sit ad vltum necessaria: quod est absurdissimum contra vim verborum, & totius Ecclesiae sensum. Quia valor sacramenti non pendet ex circumstantiis extrinsecis, & futuro euentu, sed ex propriis principiis, & causis: si ergo ad sit vera materia & forma, & minister cum debita intentione, conficietur sacramentum, etiam si ab eodem, vel a diuersis sacerdotibus consecrationes in infinitum multiplicentur, seu reperantur. Constat autem per se loquendo, omnem materiam, quae pluribus consecrationibus confici potest, si tota simul praesens fiat, vnica verborum prolatione posse etiam consecrari, quia tota potest signari pronomine, hoc: & aliunde eadem est efficacia in vna verborum prolatione, quae in infinitis. Non igitur potest signari terminus huic materiae per se, neque ex necessitate vltus: praesertim cum haec necessitas, & multitudo, vel paucitas communicantium, in infinitum variabilis sit, & ideo ex illa nihil possit certum definiti.

Dico secundo, Si magnitudo materiae tanta esse fingatur, vt non possit tota simul fieri moraliter praesens, neque etiam poterit vnica forma consecrari, ita docet D. Thomas, opusc. 59. c. 5. Durandus d. 11. q. 6. Gabriel. lect. 35. in can. dub. 2. Victoria in Summan. 57. Sotus d. 9. art. 2. Viguierius, c. 16. §. 3. Inducant Caietanus hic, & Paludanus, ac Richard. d. 10. art. 7. q. 1. & ita exponendus D. Thom. hic, vt Caietan. do-

cet. Constat vero conclusio ex supra dictis, quia haec praesentia est conditio necessaria, vt forma consecrationis locum habere possit. Verum est tamen, casum hunc imaginatione quidem fingi posse, re tamen vera non posse, humano modo loquendo, inueniri. Quis enim fingat tam magnum acertuum panis, aut tantam vini copiam simul congregatam, vt non possit homini praesens fieri? Et ideo D. Thom. merito simpliciter negauit dari terminum magnitudinis in hac materia.

Solum superest difficultas ex superioribus huc remissa, quia per multas consecrationes posset confici magna materia vini, quae postea simul sumpta & vnica maneret consecrata, quamuis non posset tota simul praesens fieri sensibus: ergo eadem ratione posset tota simul consecrari. Et idem argumentum erat de termino paruitatis: quia pars minima etiam insensibilis, si separaretur, consecrata manet, posset ergo etiam hoc modo consecrari: quia cum hoc sacramentum consistat in facto esse, non est maior materia necessaria ad fieri, quam ad factum esse. Propter hanc difficultatem Maior distinctio. 11. qu. sententia, Maior. 1. (prout habetur in aliquibus codicibus, in aliis etiam deest haec pars) negat assumptum: affirmans, ta paruas posse esse particulas separatas, vt desinat sub eis esse corpus Christi, quamuis possit adesse substantia panis. Et potest hoc suaderi, quia si pars separata est insensibilis, ergo non est visibile signum: ergo non est sacramentum: ergo non manet in ea Christus. Confirmatur primo: quia non est apta ad vltum, & finem huius sacramenti. Confirmatur secundo, quia alias saepe necesse esset corpus Domini conculcari, & irreuerenter tractari. Vnde consequenter infert, per diuisionem hostiae consecratae in minimas particulas, posse omnino desinere ibi adesse corpus Christi. Addit vero quod si illae particulae iterum continuarentur, iterum sub illis speciebus esset corpus Christi, sine noua Consecratione: quia non possunt esse eadem numero species & continua, quae antea continebant corpus Christi, & quod nunc non contineant. Sed in primis in hoc vltimo non loquitur consequenter, quia, si corpus Christi desinit esse sub illis accidentibus per diuisionem: ergo incipit sub illis esse alia substantia, eis proportionata, scilicet, substantia panis: ergo, etiam si postea vniantur illae particulae, non poterit sub illo toto esse corpus Christi, nisi per nouam transubstantiationem: ergo & per nouam consecrationem. Nisi fortasse dicat per solam vnionem cuiuscunque laici ministerio factam in virtute primae consecrationis fieri nouam transubstantiationem, quod inauditum est & absurdissimum. Praeterea ipsa sententia Maioris falsa est. Nam ex communi sententia omnium Doctorum, quam infra, quae 75. latius probabimus, species consecratae, siue continuae maneant, siue diuise, tam diu sub se continent corpus Christi, quam diu substantia panis sub eis conseruaretur. Vnde Concil. Florentin. in decreto Eugenij, & Tridentin. sessione 13. canon. 3. absolute definit manere totum Christum sub singulis partibus specierum, separatione facta: cum ergo absolute loquantur, non licet nobis restringere ad partem maiusculam, vel minimam, dum modo in ea verae sint species panis. Vnde idem Tridentin. can. 4. absolute definit. Si quis dixerit, in particulis consecratis, quae post communionem manent vel super sunt, non remanere verum Christi corpus, anathema sit.

Respondetur ergo ad vtramque partem difficultatis, hic esse differentiam inter fieri, & factum esse huius sacramenti: nam, vt fiat, necesse est, totam materiam esse sensibilibiter praesentem ministro, & posse sensibus demonstrari, pronomine, hoc: accidere autem potest, vt, vel propter nimiam extensionem, vel propter nimiam & insensibilem paruitatem, non possit fieri materia hoc modo praesens, nec capax sit,

si 4 vlt

Viguierius. Caietan. Palud. Richard.

Quorundam sententia, Maior.

Conc. Flori. Conc. Trid.

ut in eam cadat forma: at vero postquam materia consecrata est, vel per partes, quæ postea coniunguntur & componunt nimis grandem magnitudinem: vel in toto, & postea separatur in quantitate nimis parua, iam non est necessaria prolatio formæ, nec præsentia, ut ibi Christus conferretur: & ideo, quædiu ibi conferuaretur substantia panis, tamdiu conferuatur præsentia corporis Christi. Exemplum esse potest de anima rationali, quæ per se separata consecrari non posset, seu caractere signari, coniuncta autem corpori, & quodammodo sensibilis effecta, consecrari potest, & postea separata consecrationem retinet.

Solutio rationis contraria.

Ad rationem autem in contrarium respondetur, ad priorem partem de termino magnitudinis, satis esse, quod singulæ partes potuerint consecrari, ut postea vnitæ possint conferuari. Ad aliam vero partem de termino paruitatis, similiter dicitur partem illam minimam, per se non esse sensibilem, esse tamen in toto: & hoc satis esse, ut consecrari in illo possit, & postea consecrata conferuari. Et idem dicitur ad primam confirmationem. Nam satis est, ut illa pars in toto possit ad usum huius sacramenti applicari. Ad secundam confirmationem respondetur, per se loquendo, magis pertinuisse ad habilitatem & reuerentiam huius sacramenti, ut species consecrata, dum manet, indelebilem retineant consecrationem, & infallibiliter continent corpus Christi: alia vero, quæ sunt per accidens, adhibita mediocri diligentia morali cauere possunt: præsertim, quia vix possunt naturaliter particule tam minimæ quantitatis separari, ut sint insensibiles, quin statim corrumpanitur, vel ex vi ipsius diuisionis, vel certe ex actione corporis ambientis.

Dubium

Hic vero inquiri potest, an si per Dei potentiam eleuaretur oculus ad videndum particulam illam minimam, quæ naturaliter videri non potest, vel maximam illam quantitatem, ad quam oculus pertingere non potest, an (inquam) tunc posset consecrari? Probabile certe est non posse, quia illa materia per se est insensibilis, & absens sensibus. In contrarium vero est, quia hic, & nunc iam sentitur, & potest tunc signo sensibili designari, nihil ergo deest ad veritatem sacramenti.

Solutio.

ARTICVLVS III.

Vtrum requiratur ad materiam huius sacramenti, quod sit panis triticeus.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad materiam huius sacramenti, quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememoratiuum Dominice Passionis, sed magis videtur esse consonum Dominice Passionis panis hordeaceus, qui est asperior, & de quo etiam Christus pauid turbas in monte (ut dicitur Ioan. 6.) quam panis triticeus. Ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

2. Præterea, Figura est signum speciei in naturalibus rebus. Sed quedam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut far, & spelta; de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum huius sacramenti. Ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

3. Præterea, Permixtio speciem soluit: sed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habet, nisi forte de electis granis studiosè fiat. Non ergo videtur, quod panis triticeus sit propria materia huius sacramenti.

4. Præterea, Illud, quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non sit propria materia huius sacramenti.

SED contra est, quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat, Ioann. 12. dicens: Nisi

granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ergo panis frumenti, siue triticeus est materia huius sacramenti.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est. Ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communis apud homines in talem usum venit: inter alios autem panes communius homines videntur panem triticeo: nam alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem: & ita conuenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti est panis triticeus.

Ad primum ergo dicendum, quod panis hordeaceus competit ad significandam, tum duriciem veteris legis propter duriciem panis: tum etiam, quia, ut Augustinus dicit in libro 8. questionum, hordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, rei ipsam legem significat, quæ ita data erat, ut in ea videretur anima alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur, vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi eius in heret ad hoc autem sacramentum pertinet ad suauitatem Christi, & ad veritatem iam manifestatam, & ad populum spirituale. Unde non est materia conueniens huius sacramenti panis hordeaceus.

Ad secundum dicendum, quod generans generat sibi simile in specie: sit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generantis. Et ideo, si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur filigo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia huius sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici simile. Similitudo autem figuræ in tabulis, magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei: sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis & lupus sunt propinque species, non autem eiusdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia huius sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio non soluit speciem, quia id quod est modicum, quod ammodo absumitur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti. Si vero sit magna permixtio (purè ex aquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus, non erit debita materia huius sacramenti.

Ad quartum dicendum, quod aliquando est tanta corruptio panis, quod soluitur species panis, sicut cum continentis soluitur, & sapor, & color, & alia accidentia mutantur: unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quæ speciem soluat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreuerentiã sacramenti.

Et quia amidum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus, possit fieri corpus Christi: quamuis quidam contrarium dicant.

Affirmat Diuus Thomas panem triticeum necessarium esse huic sacramento conficiendo, non videtur autem rem hanc ut certam definire, sed quia ita (inquit) creditur Christus in huius panis specie sacramentum hoc instituisse. Quod duplici coniectura confirmat: vnã sumit ex communi huius panis vsu, quia scilicet, frequentius homines illo videntur: alteram ex maiori proportione ad huius sacramenti significationem: quia scilicet, hic panis melior est ad vitam hominis roborandam & conferuandam. In singulis vero argumentis, & solutionibus eorum, singulas difficultates attingit statim disputandas.